Appendix Tractatus Theologici de Immaculata Conceptione.

Augustini de Angelis Duodecim Radij.

Quibus à visibilis Ecclesiæ Sole, et vero Luminum Patre Alexandro VII. Beatissimæ Virginis Mariæ Præseruatio à Peccato Originali in primo suæ Animationis instanti, illustratur, illuminatur.

Vix huic Operi vltimam Typographus manum admouerat, cùm ecce faustissimus Nuntius Piorum omnium ingenti gaudio corda perfudit; accepimus enim ex eo Romæ ab Alexandro VII: Ecclesiæ Catholicæ clauum fæliciter tenente, emanasse Bullam in fauorem Marianæ Præseruationis, tenoris sequentis, videlicet.

SS. D.N.D. ALEXANDRI

Diuina

Diuinæ Prouidentiæ Papæ VII. Innouatio Constitutionum, et Decretorum in fauorem. &c.

Hanc sane Bullam mihi attentissime legenti, (et ut par erat) ponderanti, duodecim affulsere Radij quibus à Visibilis Ecclesiæ Sole, et vero Luminum Patre Mariana Præseruatio illustratur.

1. Et quidem Primus ex ipsomet Titulo Alexandrinæ Bullæ emissus Radius disijcit tenebras Dubitationis illius, quã Nonnulli excitarunt, asserentes; Bullas Anteriorum Pontificum Sixti IV. Pauli V. Gregorij XV. æquè fauisse vtrique Sententiæ, Affirmatiuæ scilicet, et Negatiuæ Peccati originalis in B. Virgine; Titulus enim Alexandrinæ Bullæ clarissime declarat, et explicat, Innouari Bullas Anteriorum Pontificum editas in fauore Sententiæ Asserentis Animam Beatissimæ Virginis in sui Creatione, et ad corpus Infusione à Peccato Originali Præseruatam fuisse, facto interim alto silentio de Opposita. Vide 2. p. Ar. I. IX. et XV. huius Tractat.

2. Secundus Radius disijcit tenebras

Dubitationis

Dubitationis illius, qua dicebatur; Nouissimis temporibus cæpisse Festum Marianæ Præseruationis à tempore Sixti IV. declarat enim Alexandrina Bulla quod Vetus fuerit Christifidelium Cultus Marianæ Præseruationis. Vide 2. p. Art. I. huius Tract.

3. Tertius Radius disijcit tenebras Dubitationis illius, qua controuertebatur; An ex Institutione Religionum, et Confraternitatum sub titulo Immaculatæ Conceptionis approbantibus Summis Pontificibus Negatiua sententia, seu Mariana Præseruatio firmaretur: declarat enim Alexandrina Bulla, ex Institutione Religionum, et Confraternitatum approbantibus Summis Pontificibus auctum esse Cultum, et Venerationem erga Marianam Præseruationem. Vide 2. p. Art. VII. huius Tract.

4. Quartus Radius disijcit tenebras Dubitationis illius, qua quærebatur; An ex Concessione Indulgentiarum Mariana Præseruatio, et Cultus erga illam firmarentur, plerisque; negantibus fuisse unquam concessas Indulgentias Immaculatam

tam Conceptionem Venerantibus; declarat enim Alexandrina Bulla; Cultum, et Venerationem erga Marianam Præseruationem auctam esse ex concessione Indulgentiarum; et consequenter declarat, vere concessas fuisse Indulgentias colentibus venerantibus Marianam Præseruationem. Vide a.p. Art. V. huius Tract.

5. Quintus Radius disycit Tenebras Dubitationis illius, qua quærebatur, vtra sententia esset communis inter Fideles, Affirmatiua ne, An Negatiua; declarat enim Alexandrina Bulla, quòd communis inter Fideles fuerit Negatiua, quia declarat, quòd Catholici ferè omnes eam tenuerint, et pleræque, celebriores Academiæ, eam defenderint; consequenter declarat, quòd Negatiua habeat illam eandem certitudinem, quam habemus de salute Adæ Humani Generis Prothoparentis. Vide a.p. Art. X. et Art. XIV. huius Tract.

6. Sextus Radius disycit tenebras earum Interpretationem, quibus fauores olim impensi a' Summis Pontificibus, tàm Festo Marianæ Præseruationis, quam

quam sententiæ illam tuenti, ita glossantur, ac si fauores non essent: declarat enim Alexandrina Bulla, verè fauores fuisse, atque; adeò Summos Pontifices Romanos impensè fuisse Marianæ Præseruationi. Vide Q. V. Art. IX.

7. Septimus Radius disjicit tenebras earum omnium Disputationum, Concionum, Tractatuum ex professo, siue scripto, siue voce vellicantium, et impugnantium Negatiuam: Vetat enim Alexandrina Bulla, et districtè prohibet omnes eiusmodi Disputationes, Conciones, Tractatus, et pœnas olim Transgressoribus inflictas, auget, et cumulat. Vide Q. par. Artic. X.

8. Octauus Radius disjicit Tenebras omnis prætextus excogitabilis, quo quis directè, vel indirectè, et proposita argumenta contraria relinquendo insoluta, Festum et sententiam de Mariana Præseruatione impugnaret, id enim districtè prohibet Bulla Alexandrina. Vide Q. J. Art. X. et Art. IV.

9. Nonus Radius disjicit Tenebras eius prætextus specialis, quo quis olim

in

in Regnis Hyspaniarum sub colore proximæ Definibilitatis examinandæ, ausus est Christifideles e sua quasi pacifica possessione colendi hoc Festum, tenendi Sententiam Negatiuam, deturbare. Vide C. 1. Art. V. huius Tract.

10. Decimus Radius disycit tenebras alterius prætextus specialis, quo quis sub colore sacram Scripturam interpetrandi, SS. PP. aut Doctores glossandi, Sententiam Negatiuam impugnat; Prohibet enim Alexandrina Bulla huiusmodi glossas, et Interpretationes Sacræ Scripturæ SS. PP. et Doctorum in præiuditiũ Festi, et Sententiæ Negatiuæ. Vide C. 1. Art. VIII. et X.

11. Vndecimus Radius disycit tenebras eius Dubitationis, et controuersiæ diu alias agitatæ quodnam sit Obiectũ Festi Conceptionis, et quid intendant Fideles celebrare, dum hoc Festum celebrant; declarat enim Alexandrina Bulla Fideles hoc Festum celebrantes, nihil aliud intendere, et nullum aliud obiectum eius celebrationis habere, nisi Marianam Præseruationem, seu

Animam

Animam Beatæ Virginis in primo instanti suæ Creationis ad Corpus, fuisse speciali Dei Gratia, et Privilegio intuitu meritorũ Christi eius Filij Humani Generis Redemptoris à macula Peccati Originalis præservatam immunem, non ergo Obiectũ eius Festi est Sanctitas subsecuta ad Conceptionem, aut Sanctitas dispositiva, aut Sanctitas præscindens à primo, et secundo instanti, sed est Sanctitas Præservativa, et primo instanti affixa. Vide Q. 9. Art. I. per totum.

12. Duodecimus Radius disycit Tenebras eorum Codicum, seu librorum, quibus sententia Negativa Peccati Originalis in Beata Virgine in dubium vocatur: declarat enim Alexandrina Bulla, confirmando, et innouando Bullas Anteriorum Pontificum, eos Codices, et libros non haberi pro veris. Vide Bullam Grave nimis Sixti IV. et Q. 9. Art. X. huius Tract. versus finem.

Quibus sane Radys Sententiam Negativam, et Marianam Præservationem illustrantibus eò deuentum est, vt intrepidè dicamus, Sanctissimum Dominum

minum Nostrum Alexandrum VII. fauentissimum Marianæ Præseruationi se se declarasse, adeo vt, nisi prioribus verbis Bullæ, seu clausulis, addidisset; Se nolle decidere; potuisset satis efficaciter argui, et deduci, quod Negatiua sententia esset iam definita, et conclamatum de Opposita.